



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Epistola I. Episcopi Lyddensis ad magistrum Michaellem Decanum Ecclesiæ
Parisiensis & electum Patriarcham Hierosolymitanum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

studia diversa guerrarumque conflictus solito amplius invaluisse dicuntur, inspecta etiam idoneitate personæ in quam laudabiliter convenistis, licet ab initio contradictores aliqui obstitissent, de communi tamen fratrum consilio electionem quam de venerabili fratre nostro Berengario Episcopo Ilerdensi fecistis ratam habemus, & auctoritate apostolica confirmantes, ipsum vobis concedimus in pastorem. Mandamus itaque vobis atque præcipimus quatenus deinceps ei debitum honorem & obedientiam tamquam spirituali patri vestro appellatione remota tam hilariter quam humiliter impendatis, & ita erga eum vos exhibere curetis ut & ipse, sicut pater sollicitus, de regimine vestro debeat commendari, & vos tamquam devotos filios de obedientia eidem exhibita digna laudum prædicatio prosequatur. Credimus siquidem & speramus quod qui in abbacia & episcopatu se gessit utiliter & honestè, in archiepiscopatu opitulante Domino ea poterit operari quæ & in temporalibus Ecclesiæ vestræ proficient & in spiritualibus correctionem atque meliorationem divina cooperante virtute præstabunt. Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno primo.

*EPISTOLA I. EPISCOPI
Lyddensis ad magistrum Michaëlem Decanum
Ecclesiæ Parisiensis & electum Patriarcham
Hierosolymitanum.*

Ar. 1194.

Domino & amico suo carissimo Dei gratia Hierosolymitanæ sedis electo venerabili Parisiensis Decano magistro Michaëli I. ejusdem permissione Lyddensis Ecclesiæ minister humilis in Spiritu sancto

et recta sapere & de ejus semper consolatione gau-
 dere. Ut verbis utamur beati Hieronymi, stultum
 est docere quod noverit ille quem doceas. Verunta-
 men familiare est sapienti tolerare nescientem. Con-
 fidentiùs & securiùs vobis scribimus quò sermonem
 nos habere cum sapiente & discreto minimè ambigi-
 mus. Sustinete igitur modicum quid insipientiæ no-
 stræ; sed & supportate nos. Sic enim decet pruden-
 tiam vestram doctam & instructam ab illo qui docet
 hominem scientiam. Bonas, optime Doctor, fini-
 vias vestras & studia vestra præcordialiter desideran-
 tes hortamur vos cum Apostolo ne in vacuum gra-
 tiam Dei recipiatis. Novit siquidem discretio vestra
 scientiæ & intelligentiæ lumine divinitus irradiata
 quoniam secundum veritatis sententiam cui plus
 committitur, plus ab eo exigitur, & quoniam ser-
 vus sciens voluntatem domini & non faciens digna
 plagis vapulabit multis. & secundum illud Jacobi:
 Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi. &
 secundum beatum Gregorium: Augentur dona, ra-
 tiones etiam crescunt donorum. & ubi majus est do-
 num scientiæ, ibi majus est periculum culpæ: Quan-
 to igitur obligatiorem vos esse conspiciatis in reddenda
 commissi vobis talenti ratione, quanto judicem
 districtiorem vobis & austeriorem in ejusdem exa-
 ctione, tanto cautiùs & circumspectiùs attendere
 tenemini & videre vocationem qua superna provi-
 dente clementia & eadem misericorditer disponente
 concorditer orientalis Ecclesia vos vocavit tamquam
 luminare majus in pastorem & magistrum suum, cu-
 jus doctrinæ radiis sedentes in tenebris & umbra
 mortis illuminentur, & tamquam exemplar virtutum,
 quo perversi corrigantur & averfi reformen-
 tur. Si enim vocanti vos Domino & dicenti, Amice
 ascende superiùs ut luceat lux tua coram hominibus
 & videant opera tua bona, in auditu auris obedire

volueritis, & ei in via virtutis suæ obedire contempseritis, cum vobis exemplum dederit ut quem admodum ipse fecit ita & vos faciatis, timendum admodum vobis erit ne cum illis de quibus dicitur, *Dejecisti eos dum allevarentur*, incipiatis cum rubore novissimum locum tenere, & qui hactenus gemina scientia efficacissimè claruistis, morum elegantia & virtutum eminentia laudabiliter enituitis, instrumenta virtutum vobis à superno largitore collata, & eis ad gloriam & honorem ipsius & terræ sanctæ, quam pro vestra omniumque salute proprio cruore misericorditer consecravit, exaltatione uti neglexeritis, vobis tamquam ingrato subtrahantur, & à peregrè profecto in exactione lucri duro & austero, cum in plenilunio rationem cum servis positurus redierit, vobis tamquam servo inutili, pigro, & laborem pro ipso subire nolenti dicatur: *Auferte ab illa mnam, & date illi qui decem mnas habet*. Et tunc erit vobis confusio, dedecus, & ignominia coram simul discumbentibus. Dum igitur, optime Doctor, tempus habetis, bonum ad omnes operari non desistatis, maximè autem ad eos qui vos inspirante Deo, tamquam oves errantes non habentes pascua, tam ardentè & affectuosè, expetunt habere in pastorem & Episcopum animarum suarum: quorum desideris & petitionibus deesse, quibus auxilium & consilium in hac necessitate subtrahere, illius est offensam incurere qui cum in forma Dei esset, propter nos & propter nostram salutem semetipsum exinanivit formam servi accipiens, egenus & pauper effectus adeo ut non haberet ubi caput reclinaret, cum vulpes foveas haberent & volucres cœli nidos. Videat itaque, vates egregie, discretio vestra quàm periculosum, quàm juri sit contrarium, quàm indecens, quàm indignum, in terra illa paupertatem pro illo vereri sustinere in qua dives in omnibus dominus majestatis

& conditor universitatis, in cuius ditione cuncta sunt posita, pro nobis egere dignatus est & mendicare, in qua venit non ministrari sed ministrare & animam suam redemptionem dare pro multis, in qua causa nostræ reparationis tot indigna pertulit, opprobrium hominum & abjectio plebis factus, & ad ultimum morte turpissima condemnatus. Christo igitur pro nobis in carne passo, pro nobis in cruce clavis confixo, Doctor amandissime, compatiamur: quoniam si compatimur, & conregnabimus. Valete, & nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus si ex Deo sunt. Quid autem super his animi geratis, vestrarum occursum litterarum desideramus & instanter petimus edoceri,

Chronicon Alberici ad annum 1194. Magister Michael Decanus Parisiensis, vir theologus & religiosus, in Patriarcham Hierosolymorum est electus; sed antequam illuc iter arriperet, factus est Senonensis Archiepiscopus.

LITTERÆ CAPITVLI

Remensis ad Abbatem Claravallensem, qui est in Episcopum electus.

Bonorum omnium largitor, qui fidelium actus in An. 1204: suæ beneplacito voluntatis disponit, actiones & voluntates nostras ita reddidit uniformes quòd post felicitis memoriæ Vvillelmi Archiepiscopi Remensis vos in patrem elegimus & pastorem. Vnde gaudet Ecclesia, serenissimus Rex Francorum plurimum conlætatur, & plebs universa congauet, quòd Claravallensis Abbas obtinet sedem Remensem, qui virtutum claritudine metropolitanam faciet Eccle-

Q iij